Βαστέρναι Ρωμαῖοι 182 π.Χ. 77a

Cottoni (;)

«Totus in Persea versus cum eo cogitationes ejus. T. Λίβιος Bibl. XL Κεφ. 5
rei dies ac noctes agitabat. Redierant, quas forte
miserat in Bastarnas ad arcessenda auxilia, adduxerantque inde nobiles iuvenes, et regii quosdam generis: quorum unus sororem suam in matrimonium Philippi filio pollicebatur, erexeratque consociatio gentis ejus animum regis

179 π.Χ. Κεφ. 57

Peropportuna mors Philippi fuit ad dilationem, et ad vires bello contrahendas. Nam post paucis diebus gens Bastarnarum diu sollicitata, ab suis sedibus magna peditum equitumque manu Histrum trajecit. Inde praegressis qui nuntiarent regi Antigono et Cottoni (nobilis erat Bastarna[1]) et Antigonus perinvitus cum ipse Cottone legatus ad concitan-

(1) Reddit rationem cur Cotto Antigonus missi sint ad nunciandum regi Bastarnarum adventum. Cotto nimirum nobilis erat Bastarna; Antigonus, legatus ipsius

77b

Βαστάρναι. Ρωμαϊκά. 179 π.Χ.

dos Bastarnas missus haud procul Amphipoli fa
ma, inde certi nuntii occurrerunt, mortuum esse regem:
quae res omnem ordinem concilii turbavit. Compo
situm autem sic fuerat: transitum per Thraciam
tutum et commeatus Bastarnis ut Philippus prae
staret. Id ut facere posset, regionum principes
donis coluerat, fide sua obligata pacato agmine
transiturus Bastarnas. Dardanorum gentem delere
propositum erat, inque eorum agro sedes fun
dare Bastarnis

Inde in omnem eventum
consilia accomodabantur. Sive caesi ab Roma
nis forent Bastarnae, Dardanos tamen subla
tos, praedamque ex reliquis Bastarnarum, et posse
ssionem liberam Dardaniae, solatio fore: sive
prospere rem gessissent, Romanis aversis in Ba

Philippi. Ceterum hic quoque locus corrupte legitur
in unico exemplari: «nobilis erat Bastarna ex res An
tigonus saepe invitus cum ipso Cottone» Nos eum edidimus
emendatum, partim ex Sigonii, partim ex Gronovii conjectura.
Crev.

Βαστάρναι Ρωμαίοι 179 π.Χ. 77γ

Δούνακον. Θεοί Θρακών.

starnarum bellum reciperaturum se in Graecia, quae amisisset. Haec Philippi consilia fuerunt. Ingressi sunt pacato agmine, fide Cottonis et Antigonei. Sed haud multo post famam mortis Philippi neque Thraces commercio faciles erant neque Bastarnae empto contenti esse poterant, aut in agmine contineri, ne decederent via. Inde injuriae ultro citroque fieri, quarum in dies incremento bellum exarsit. Postremo Thraces, quum vim ac multitudinem sustinere hostium non possent, relictis campestribus vicis in montem ingentis altitudinis (Donucam vocant) concesserunt. Quum subire Bastarnae vellent quali tempestate Gallos spoliantes Delphos fama est peremptos esse: talis tum Bastarnas, nequicquam ad juga montium appropinquantes oppressit. Κεφ. 58

Itaque, quum praecipiti fuga per rupes praealtas improvidi sternerentur, instabant quidem perculsis Thraces: sed ipsi deos auctores fugae esse, caelumque in se ruere ajebant.

Βαστάρναι ... Ρωμαῖοι 176 π.Χ.
Σκορδίσκοι

Βιβλ. XLI Κεφ. 19.

Πόλεμος μεταξύ Δαρδάνων και Βασταρνών

Et tumultus quidem Gallicus et Ligustinus, qui principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi oppressus erat. Belli Macedonici subibat jam cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina: et legati, qui missi jam reverterant Romam, renunciaverantque, bellum in Dardania esse. Simul venerant et ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec accitos ab eo Bastarnas, nec auctore eo quicquam facere. Senatus nec liberavit ejus culpae regem neque arguit: moneri eum tantummodo jussit ut etiam atque etiam curaret, ut sanctum habere foedus, quod ei cum Romanis esset, videri posset. Dardani Bastarnas non modo non excedere finibus suis quod speraverant, sed graviores fieri in dies cernerent, subnisos Thracum accolarum et Scordiscorum auxiliis, audendum aliquid vel temere rati, omnes undique armati ad oppidum quod proximum castris Bastarnarum erat, conveniunt. Hiems erat, et id anni tempus elegerant, ut Thraces Scordiscique in fines suos abirent. Quod ubi ita factum, et solos jam esse Bastarnas audierunt, bifariam

Βαστάρναι. Τυρνάτει 176 π.Χ.

dividunt copias: pars ut recto itinere ad lacessendum ex aperto iret: pars devio saltu circumducta, ab tergo aggrederetur. Ceterum priusquam circumire castra hostium possent, pugnatum est; victique Dardani compelluntur in urbem, quae fere duodecim millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circumsidunt urbem, haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus, quae circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine praesidio relicta [nulla negotio cepit. Bastarnae, omni et commeatu et apparatu bellico, qui in castris fuerat, exuti, quum ejus reparandi facultas ex hostili regione, et infesto tempore anni, nulla esset, patrias sedes repetere statuerunt.

Καταγγελία κατά του βασιλέως Περσέως γενομένη. 174 π.Χ. Κεφ. 23

. . . . Itaque quid hic post mortem patris ejus aliud, quam bellum paravit. Bastarnas primum ad terrorem omnium in Dardaniam immisit. . . »